



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

VII. S. Alexander I. Anno Christi 121. Hadriani Imperatoris 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

rentur, ut ex illo referunt canonum collectors. Alii ex aduerso scribunt ante Imperium Constantini Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis: In quorum sententiam facile ibo, si de publicis & solemnibus agant: si verò de privatis & clam peractis sermo sit, nullatenus illis consentire possum. Nam veterum Patrum testimonio iam supra evici, semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, Mosai- ca Legis exemplo & Apostolicâ institutione edoctis, divino cultui certis ceremoniis consecratis, nemo certè negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina.

VII.

S. ALEXANDER I.

ANNO CHRISTI 121.

HADRIANI IMPERATORIS 2.

Bar. an. 121. §. 2. An. 132. §. 1. 3. Pag. an. 130. §. 2. 3. **A**LEXANDER Alexandri filius Romanus Idibus Novembr. anno 121. Pontifex constitutus, anno 132. V. Nonas Majas sacrum in martyrio Sanguinem fudit, cum decem annos administrationis explisset. (1)
De

De hoc auctor Libri Pontificalis narrat, *passionem Domini miscuisse in precatione Sacerdotum, quando Missa celebrantur.* Ex quo factum reor, ut nonnulli existimarent precationem illam: *Unde & memores Domine post consecrationem ab Sacerdote recitari solitam Missæ canonis insertam ab eo.* Sed ut ait Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 13. §. 3. *si præcisè de memoria passionis sermo sit, sive istis, sive aliis verbis fiat, ea certè non fuit ab hoc sancto Pontifice instituta, ut præclare observat Baronius an. 132. num. 3. Habemus enim hac de re expressum in Evangelii præceptum Domini; & Paulus 1. ad Cor. c. 11. luculentum ejusdem rei testimonium præbet, dicens: Quotiescunque manducabitis &c. In eodem libro Pontificali & apud Walafridum Strabonem de rebus Ecclesiasticis cap. 29. scriptum hoc etiam invenitur, Alexandrum auctorem fuisse ritus aquæ benedicendæ cum sale, & in Christianorum domibus aspergendæ. (2) At morem illum ab Apostolica traditione ortum, & Alexandri decreto confirmatum docet Baronius ad an. 57. §. 109. &*

ad an. 132. §. 3. Parum aquæ esse vino in consecratione Calicis admiscendum ex Alexandri decreto, scribunt aliqui, At id fieri ex Christi instituto, quod à S. Cypriano lib. 2. epist. 3. *Dominica Traditio* appellatur, ostendit Bona lib. 1. *Rer. Liturgic.* cap. 9. §. 3. Invenias apud alios, eundem decrevisse, ut Eucharistia ex pane azymo conficeretur. Ast alii animadvertunt, nihil hujusmodi in antiquis ac legitimis Alexandri Actis reperiri, & nullum hujus decreti testem proferri præter Martinum Polonum, qui, cum undecim post sæculis floruerit, haud ita facilè probandus est. Itaque iis ego magnopere assentior, qui, nullâ facta de Alexandri decreto mentione, azymorum usum ad Eucharistiam conficiendam ex Apostolorum traditione in Ecclesia Latina semper viguisse confirmant, in quorum sententiam undecimâ ex duodecim nostris *Dissertationibus* plura persecuti sumus.

ANNOTATIONES.

- (1) Eusebius lib. 4. *Hist. Eccl.* cap. 4.
S. Optatus l. 2. *contra Parmen.* §. 3. Alexandrum prætermittit, & Eusrifto Sixtum suggerit.

gerit. Id quod vel Optati oblivione, vel Amanuensium potiùs incuriâ factum puto. Nam apud Irenæum lib. 3. cap. 3. Eusebium lib. 4. cap. 4. Epiphanium har. 27. §. 6. & apud Augustinum epist. 53. ubi finè controversia ex tabulis Ecclesiæ Africanæ Pontifices recenset, Alexander proximus post Euaristum ponitur.

(2) D. Thomas 3. Part. quæst. 65. art. 1. ad 6. *Aqua benedicta ordinatur contra insidias Demonum, & contra peccata venialia.* Baronius ad an. 132. §. 5. *Aqua ad domesticum usum sanctificata, ipso ingressu Ecclesiæ ad levium sordium expiationem est exposita.*

VIII.

S. SIXTUS I.

ANNO CHRISTI 132.

HADRIANI IMPERATORIS 13.

SIXTUS Romanus. Si Libro Pontificali fides sit, decrevit, ut vasa sacra ab sacris tantùm ministris tangerentur, utque nullus Episcopus Romam evocatus, ad Episcopatum suum redies susciperetur, nisi Apostolicæ Sedis litteras *Formatas* populo exhiberet. (1) *Trisagion Sanctus, Sanctus,*

Bar. an.
132. §. 7.
Pag. an.
130. §. 3.
Bar. an.
142. §. 3.
6. 7. 12.
Pag. an.
104. §. 3.